



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Gratiam talem esse, cui humana voluntas possit resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem sudasse, Falsam, Temerariam, Scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, Blaphemam, Contumeliosam, Divinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

An. à Nat. D. N. Jesu Christi M. DC. LIII. Indictione VI. &c. nona die Mensis Junij affixa & publicata Roma, ac deinceps per alias Christiani Orbis Provincias, ad quas pertrahebatur.

Hac damnatione perstricta est Gomaristarum doctrina, de quorum prompeuarijs & sententijs facta fuerunt ex Propositionibus. Etenim I. Propositio ab Innocentio X. damnata est Gomaristarum, quæ Remonstrantes damnant Actorum suorum parte 3. Thesi 6. & ostendunt pag. 33. à Gomaristis doctam esse, adductis verbis, forumque Authorum ex collatione Hagienfis pag. 57. & 209. Triglandio, Geselio, Calvino, Beza, Zregedino, Piscatore, Dammanno, Dontclockio, Thyfio, Martyre, Zanchio, Zeppero &c. Calvinianis.

II. Propositio damnata ab Innocentio X. etiam est Gomaristarum, uti ostendunt Remonstrantes Actorum suorum parte 3. à pag. 19. ex collationis Hagienfis pag. 207. & 208. Thesij, Triglandij, Dugauti, Dammanni, Smouti, Geselij, Zanchij, Dontclockij, Gomari, Calvinique &c. Gomaristarum ipsissimis verbis, & amplius à pag. 50. ibidem probant à Gomaristis doceri: damnantque Thesi sua.

III. Propositio ab Innocentio X. damnata est eorundem Gomaristarum, qui inter Antelapsarios, & Sublapsarios mediam sententiam inducere voluerunt, dicendo Homines eo quod à Deo ad malum seu peccatum non cogantur, sed solum alligando vel arcana voluntate necessitentur, libere satis peccare, & esse inexcusabiles à damnatione &c. ostendunt id & damnant Remonstrantes in suis Fratris Calvinianis tum alibi, ut Actorum suorum parte 3. à pag. 71. tum parte 2. pag. 1. ubi irident eos qui sperant illo effragio se posse efficere, ne dicatur Deus ad peccata cogere, si solum arcano modo & voluntate necessitet homines ad peccatum.

IV. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam fuit Gomaristarum, ut patet prolixissime ex Actis Synodi Dordracenæ, in qua Gomaristæ prævalentes, fratres suos in Schola Calviniana sob id

quod docerent Gratiam Dei talem esse, cui humana voluntas possit resistere, damnarunt, & Semipelagianos idcirco vocarunt.

V. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam est Gomaristarum, uti patet ex parte 2. Acto: tum à Remonstrantibus editorum à pag. 189. ad pag. 170. maxime à pag. 187. ubi Remonstrantes suorum Contra-Remonstrantium verba incipiunt adnumerare, quibus impiè doceat Christum D. N. non pro omnibus hominibus, sed solum pro Electis seu prædestinatis fuisse passum.

Haber igitur Romana Ecclesia hanc gloriam, quæ uti à suo Episcopo Innocentio I. vidit damnatos Abnegatores Gratia hæreticos Pelagianos; ita à suo Innocentio X. viderit oppressos, alios hæreticos, qui Gratia affixerunt irresistibile & necessitate, & habet Ecclesia Catholica errandi, quæ caritate scindendi periculis paternè liberata, unde patri suo amantissimo semper gratias agat memoriamque eius in benedictione conservet sempiternam.

De Confessione Belgicarum Ecclesiarum & quænam circa eam acciderint.

C A P U T V I.

- I. Confessionis illius Argumentum, origo, & probur.
- II. Summarie contenta in ea Confessione dogmata.
- III. Errores graves in ea Confessione admissi.
- IV. Quod hos errores Armeniani seu Remonstrantes agnoverunt.
- V. Dei Providentia & in Ecclesiam Catholicam beneficentia in eo quod permisit Remonstrantes opprimi à Gomaristis.

I. Confessio Ecclesiarum Belgicarum, pluribus Gallica An. 1562. Belgica sæpius, Latina, Germanica imò Græca etiam linguis edita, constat XXXVII. articulis cõplectibus ut Titulus ait, summam doctrinam de Deo, & æterna animarum salute. Non est autem arbitrandum, quasi olim Belgarum Ministri, aliquando in unum locum congregati, dogmata huiusce Confessionis inter se collata, maturè deliberatione, & Doctorum hominum oppositione aut examine multo præmissa, demum consentiendo unanimiter concluserint, & populo credenda tenendaque proposuerint, uti in Sacrosanctis Eccles. Cathol. Concil. fieri cõsuevit, & novissime in Trid. factum fuisse cõstat; sed omnia Confessionis illius dogmata & eorum methodus, non est aliud quam privati doctoris in museo reformatæ Theologiz conceptum temere opus, siquidem sapientia